



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Vnguis pulchri, turpis, & nodosi, notæ. [Cap. XVIII.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

Et si cum planitie vnguis iunctus fuerit pallor quidam sub-  
lucidus, id indicat prævalere pituitam sanguini, & magis  
letiam bili; Pituitosus hic est habitus, quem per sæpe se-  
quitur somnolentia, & stupiditas quædam, & tarditas in  
motu, in operationibus, & resolutionibus, quæ grauitè ple-  
rumque offendat eos, cum quibus acturus est; Plani in mu-  
lieribus vngues, & parui, & molles aiunt manuum inspecto-  
res futuras suis maritis fideles, & multorum filiorum ma-  
tres, sed qui orientur nullius pretij erunt homines, impudi-  
ci, & impuris amoribus dediti; Et si filias pepererint, quæ  
nasum habuerint simum, adulteræ, & meretrices omni im-  
pudicitia insignes, & nobiles erunt; & longè etiam peiores  
si labra crassa, & frontem paruam, & strictam habuerint hæc  
illi, sed rationem non afferunt.

*Vngues pulchri nodosi, & alijs figuris insigniti.*

Cap. X V I I I.

**P**ulchritudinem, & turpitudinem species figuræ vocat  
Aristoteles. Vngues pulchros dicimus eos, qui ma-  
xime sunt secundum naturam, & quo ad substantiam, &  
qualitatem, & quantitatem; & si pulchri sunt vngues, parui,  
& politi apparent, & visum quodammodo delectant; Con-  
trario modo affecti sunt, qui vocantur turpes, peccant enim  
& in substantia, & in qualitate, & quantitate; Neque virum  
ciuilem decent, vngues illi longi, aut pleni forditie; si igitur  
pulchri sunt, homo est bono præditus temperamento, ad ca-  
lorem, & humorem proportionatum accedens, quare & san-  
guineam possidens temperiem; propensiones igitur quæ  
sanguinem dominantem sequuntur in hoc erunt homine,  
benignus, & affabilis apparebit; ad amandum, & benefa-  
ciendum propensus; liberalis, & mansuetus, sed garrulus,  
& qui quandoque sibi plus iusto placeat, & ad palpandum,  
laudandum, & adulandum etiam plus æquo procliuus. Tur-  
pes vngues turpem cerebri substantiam, & male tempera-  
tam

tā arguūt, quare & mores superioribus oppositos, rusticos, in amabiles, & qui aliquando scurrā potius, quam virum probum, & ciuilem deceant, sed scurrules hi mores, & dictēria plusquam oporteat falsa, atque acra, si alijs risum, at tamen qui offēsi sunt, magnopere irascentur; & odio si tandem omnibus fient; Nodi in vnguibus se se offerentes, materiam terrestrem, & pituitam impuram in ossibus in neruis, & in tendinibus prædominari indicant, & corpus excrementis; plenum; grauari igitur sibi videbuntur, & debiles, & soporosi, ignaui, & degeneres, & cætera accidentia, quæ pituitosam, & melancholicam sequuntur temperiem in his apparebūt; Et quæ fœminā hos nacta fuerit vngues nodosos, impolitos protuberātes, illam cum Simoni de ex Stobæo natam ex asino dicemus, cui ignauiā, & defidia sit cordi, quæ nihil, nisi minis, & fustigationibus boni faciat, quod vere placere possit, quæ die, nocteque semper aliquid furtim deuoret; libenter ad focum hyeme sedeat, & quemlibet aduenientem ad opus Venereum admittat; hæc ille de huiusmodi muliere prædita temperamento pituitoso cum subdominio melancholiæ calore, & spiritibus priuata affert; veritas sit penes auctorem; Vniuersaliter autem tam viros quam fœminas habentes nodosos, & vndosos vngues aiunt esse sordidos, auarissimos infimæ fortis homines, miseros, & seruili animo præditos timidos, magna velle, & tentare omnino renuentes, vespertilionum enim naturam præ se ferunt. In scientijs, & artibus mechanicis, non omnino forte erunt damnandi, laborem, & patientiam si adhibere voluerint, probabile; autem est hos eosdem faciem habere turpem, pallidam, macram, nasum depressum, maxillas magnas, & asininas, si prædictam sortiti fuerint temperiem. Non est autem putandum simulatque tales apparuerint nodi in vnguibus, ideo his hominem accidentibus esse omnino necessario præditum; oportet enim longe plura alia, & ea pathognomonica esse signa, inter se consentientia, ad hoc vt secure iudicium de præpensionibus hominum fieri

fieri

fieri possit, quæ quantum vis robusta sint, facile tamen superantur à consuetudine, & educatione, totam naturam in oppositum vertente, nam nimium est assuescere, & præfertim à teneris; sunt quidam vngues costas, & canaliculos habentes per longum; quod, vt arbitror in dicat eorum tendines abundare pituita, ex qua per actionem caloris eleuantur flatus, sed quoniã calor debilis est, eos resolvere non potest, tumorem igitur quendam, in superficie tendinis generat, si per longum fiunt canales, & costæ, si per latum species vndarum producit; exeunte deinde in externum aerem tendine, & siccitatem induente per quam fit vnguis, tunc fiunt, & illæ costulæ, & species quædam vndarum, Hoc ergo caloris remissionem arguit, quare tales vngues sæpe in senibus spectantur; & propter hoc etiam vires corporis non validæ existunt; & sæpe dolet caput, vel saltem quodammodo videntur aliquando stupidi, sunt enim frigidis, & pituitosis humoribus referti, qua de causa, necessarium est, vt timidi, & tardi appareant; & quoniam valde se ipsos amant, quæ timidorum passio est, sibi obsequuntur, & placent, & si medicamentum sumere oporteat, aut tumor secari iam maturus, horrent, lugent, & abiecto animo negant posse hæc, mala sustinere. Orbiculares vngues, & ad rotunditatē accedentes timidum, garrulum, & ambitiosum significare hominem dicunt, sed rationem non afferunt chyromantæ; dicunt etiam illum eundem esse valde venereum, & mulierum amatorem; & propter mulieres multas profusurum pecunias, & deinde dolorem sensurum, ex dilapidata pecunia, Ego putarem hominem huiusmodi esse debilem, & paruos habentem tendines, & mollem, & aptum ad intelligendum, quoniam caro sit mollis, & calor mediocris, qui dum æqualiter materiam mouet, in longum non producit vngues.

• Quadrati vngues rusticorum sunt, & rusticanos denotant mores; nam si quadrati, etiam lati, quare & tendines magni, robusti igitur, & si robusti, ergo cerebri substantia durior, ergo homo erit minus promptus ad sentiendum, & ad

ad intelligendum, amplius indicant homines, mites & qui non facile irascantur; & irati deponant indignationem, eademque, de causa non facile aliena cupiant, sed laborent continenter, & suas res agere sedulo procurent.

Si inæquales fuerint, non do si concavi, aut conuexi, aut gibbosi, quomocunque sint nunquam boni, indicant enim naturam non eodem modo semper agere, impeditur igitur, & id illi accidit, vel ratione humoris, & materiae, vel ratione caloris, & causae efficientis, si ratione materiae huiusmodi inæqualitas in vnguibus reperiatur, vt vna pars sit concava, altera conuexa, id indicat materiam ex qua constant tendines, esse male elaboratam, & secundum partes alias duram, alias mollem, cognoscitur id fieri ratione materiae, cum debilis erit homo; sed bene sibi mente constans, & ossa sint tenuia, & digiti longi, & subriles; Nihil igitur aliud significabitur nisi virium imbecillitas, & ideo timiditas, quare & ad querelas multa propensio, cum minima spe futurorum, nisi contrarium certa ratio persuaserit; At, ad hanc inæqualitatem, & scabritiem etiam concurrere neruum iudicabimus, si operationes cerebri, à quo pendet neruus imperfectæ, & deficietes apparebunt; & nõ valde acute sentiat, & iudicet homo; At ex defectu causae efficiētis, & caloris si id acciderit, docebunt alia caloris functiones, vt digestio, & motus localis; secundum se non valde diu viuet, excrementis scatebit, & morbis multis, & longis erit obnoxius, nec facile sanabitur debilis enim est calor.

Chyromantæ hos homines iudicant infideles, proditores, & qui patriam, ac domesticos vel paruo precio prodant, & præsertim si digiti fuerit breues, crassi, & interius valde incuruati, delatores calumniatores secretos, odij, & malevolentia, & omnis hostilitatis seminatores; & qui tandem propter has causas, & malos mores suos mortem oppetant violentam; quæ tamen omnia, vt apparet, nullam in se rationem habent; neque putandum est hæc, ita se se habere posse, si nulla se offerat ratio, cui homines credere valeant;

si au-

si autem ex aduerso æquales, plani, & lucidi fuerint vngues; oppositas etiam qualitates hominum indicabunt; etenim splendor ille spirituum copiam, & luciditatem docet, vires esse mediocres, calorem naturalem bene valentem, & in omnibus secundum naturam dispositum virum; Ergo cui tales adsunt vngues, ingenio, iudicio, memoria pollentem vocabunt. At si cum æqualitate, & planitie iuncta foret obscuritas, quoniam pauci, & melancholici sunt spiritus, præter timiditatem, docet hominem parum beneuolum, & naturaliter alijs detrahentem, & neminem ex corde laudantem. Chyromantæ vilem, meticulosum magicis artibus gaudentem affirmant, auarum, immitem, & ab omni humanitate seiunctum, quamuis & sibi, & alijs oppositum suadere nitatur, eundem vocant hominem infelicem, principibus odiosum, eo quod putant detractorem, & virum infidelem; Quorum omnium nulla ratio est præter hanc vnam, quod probabile est, viros his vnguibus præditos esse temperamenti sicci, & melancholici, quare cū frigus, & siccitas in his abundet, ac spirituum animalium paupertas, non est absurdum, si timidi sint, si alijs omnibus odiosi, cum illorum temperies ab humana communiter calida, & humida omnino dissentiat, illique opponatur. Hactenus de vnguibus eorumque natura ac significationibus dictum sit. Reliquum est, vt de maculis sermonem habeamus.

*De macularum significatione. Cap. X I X.*

**Q**uid sint quæ in vnguibus apparent maculæ, & quæ sint earum species, & differentiæ superius dictum est; Nunc earundem significata prosequamur; Et secundum Physiologiam, ea pauca, & tenuia sunt, ne dixerim inania penitus, Physiologi ad qualitates humorum alienantium has referunt maculas, & eum dicunt colorem habere, qui est humoris naturaliter abundantis, & eiusdem quatenus

nus